



**Disputationvm De Censuris In Communi,
Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

3 Vtrum infamia ex alieno delicto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

Verum, Ex infamia non fundata in proprio delicto illius personæ nascatur irregularitas.



Omnis & certa doctrina est, hanc infamiam aliquando sufficere ad irregularitatem, non tamen semper, sed potius raro. Vt autem doctrinam hanc per partes explicemus, dicendum in primis est, Ex infamia facti, quæ non fundatur in peccato proprio ipsius personæ, nunquam fieri irregularem seculo speciali iure. Ante probationem advertendum est, sermonem esse de sola ac præcisâ infamia, non de fundamento eius. Alioqui ex eo capite poterit nasci impedimentum, vt si quis habeatur ignorans, aut imprudens, ex defectu iudicii sine culpa, vel ex alio simili defectu. Sed illud impedimentum si ad irregularitatem sufficiat, non erit propter infamiam, sed propter ineptitudinem personæ ad tale ministerium, iuxta dicenda infra de defectibus, ad quod caput illa irregularitas pertinebit. Hoc ergo supposito, probatur assertio: quia seculo humano iure, nullus sine culpa propria notatur tali infamia, quæ reddat illum inhabilem, vel moraliter impeditum ad aliquos actus legitimos, vel honores, ergo nec ad ordines, quoad nos spectat: Patet quia talis infamia non potest induci ex sola natura rei, ex qua solum peccatum, vel pravi mores constituunt hominem dignum, vt mala opinio de illo habeatur, atq; adeo obiectum illius infamiæ, quæ in facto consistere dicitur. Vnde, sicut Aristoteles dicit i. Ethic. ca. nono, honorem soli virtuti proprie debetur, quem imitatus est D. Thom. 2.2. qu. 63. arti. 3. ita nos dicimus, solum peccatum, seu pravi opus ex natura rei esse obiectum infamiæ facti. Vnde, si ultra proprium peccatum extenditur, illud semper est propter aliquam significationem, vel habitudinem: sicut honor interdum tribuitur propter alios titulos, qui indirecte & per aliquam habitudinem reducuntur ad virtutem, vt D. Thom. exponit. Quia tamen hæc extensio arbitraria est, & pendens ex humana, & sæpe ex mundana prudentia; ideo nulla talis opinio hominum reputatur vera infamia in ordine ad aliquos actus, vel ministeria Reipublicæ, nisi aliqua lege comprobata sit, quia aliqui sæpe res tota penderet ex vulgi estimatione, & tot fere essent opiniones, quot ingenia. In hoc ergo sensu dicimus, puram infamiam facti non esse, nisi sit de proprio delicto, aut vero aut communiter existimato. Vnde sicut irregularitas, ita etiam hæc infamia non incurritur, nisi in casibus à iure expressis. Est enim ratio eadem. Nā licet talis infamia nō sit propria poena respectu personæ cui imponitur, cum non sit propter delictum eius; est tamen magnum nocumentum, & ideo sine expressa lege non imponendum, iuxta communem regulam Iuris peritorum, quam late tractat Tiracuellus in verb. *Reuertatur*, nu. 248. & sequentibus: nam, licet illi de poena loquantur; tamen comprehendunt omnem priuationem, & omne nocumentum ex se poenale. Quin potius maiori ratione restringendum hoc est, quoties absq; propria culpa incurritur dicitur, quam cum est propria poena propter culpam. Quocirca sicut in irregularitatibus non admittitur extensio propter similitudinem, vel maiorem etiam rationem causæ, ita neq; in infamia, quia hæc etiam non pendet tantum ex ratione, vel causa, sed ex voluntate legislatoris, quam non oportuit esse eandem in poena vel priuatione imponenda, etiam si causa videatur similis. Maxime, quia, licet in aliquo sit similitudo, in necessitate, vel occasione imponendi infamiam potest non esse. Ac denique hic habet locum regula de odiis restringendis.

Communis doctrina. Concluf.

Suadet prior pars.

Aristot.

D. Thom.

Suadet posterior.

Tiraquell.

quia proprie tollatur, sed quia nunquam fuit in tali persona: ius enim canonicum non cadit in personam non baptizatum, & ideo non facit illam infamem ante baptismum: multo vero minus inducit denuo in ipso baptismo talem infamiam propter delictum antea commissum, quia illa infamia poena quædam est, & Ecclesia non punit talia delicta.

Non tamen infamia in re civili.

Concluf. Panorm.

De iur. Felini.

Infamis per leges civiles infidelium si baptizatur non manet infamis nec irregularis.

De infamia vero civili non procedit hæc ratio, quia homo non baptizatus iure civili obligatur, si temporaliter subditus sit vbi tale ius seruatur, & ideo incurrit poenas talis iuris, quarum vna est infamia: ergo talis infamia civilis non tollitur per baptismum, quia hoc nec per se & intrinsece spectat ad effectum baptismi ex vi solius institutionis, vt constat ex propria materia in 3. Tomo, neque reperitur aliquod ius Ecclesiasticum, in quo hoc ei concedatur. Quapropter si Iudeus Romæ, vel Turca hic per sententiam esset condemnatus, vel flagellatus vt fur, quamvis postea baptizaretur, maneret infamis civiliter, & inhabilis ad actus civiles, ad quos nō admittuntur infames: quia nec ius ipsum civile limitat hanc poenam ad baptizatos, neque ex generali ratione poenæ civilis cessat propter baptismum, quia nec poena corporalis, nec pecuniaria cessant. Et certe si ille esset condemnatus ad tiremes, non liberaretur propter baptismum, nisi accederet dispensatio Principis. Idem ergo est de prædicta infamia, cum de illa non sit aliqua peculiaris exceptio, aut lex. Antecedens manifestum est, & de eo videri potest Panormitanus in cap. *Gaudemus*, de Diuortis, num. 16. Consequentia vero tenet à paritate rationis. Vnde Panormitanus ibi solum dixit, infamiam ex delicto contractam, (quam intelligo esse infamiæ facti) tolli per baptismum. Et de eadem re videri potest Decius conf. 130. & in c. *Quia in Ecclesiis*, de Constitutionib. num. 89. & Felinus in ca. *De his*, de Accusationib. numer. 7. vltimus sit, vt talis persona post baptismum etiam maneat canonice infamis in ordine ad irregularitatem ex tali infamia contractam, ex illo generali principio, quod omnis persona infamis iure civili, iure etiam canonico habetur infamis, & ab ordinum susceptione remouetur. Quod ius canonicum complectitur talem personam quamprimum baptizata est, quia per hoc illi non imponitur poena, sed potius illam supponit à iure civili impositam, & ratione illius considerat indecentiam, ratione cuius persona fit irregularis.

Dixi autem hoc habere locum in his personis, quæ ante baptismum in Christianorum prouinciis degentes, & civilibus eorum legibus subditæ, talem infamiam contraxerunt: nam si in prouinciis infidelium, iuxta illorum iura talis infamia fuisset contracta, & postea quis transfret ad Ecclesiam, & baptizaretur in prouinciis Christianorum, non opinor illum manere infamem in ipsa Ecclesia, vel irregularem. Ratio potissima est, quia quando canones dicunt, omnes illos esse infames, quos leges civiles infames faciunt, videntur plane loqui de legibus civilibus, quibus principes vel Reipublice Christianæ videntur, & de infamia civili, quæ intra ipsam Ecclesiam existit, nam hæc est, quæ in existimatione habetur, quæne indecentiam secum affert, nam illa, quæ omnino foris est, & inter infideles, nec consideratur, nec in aliqua existimatione habetur: maxime cum infamia inter infideles sæpe sit irrationabilis, & sine sufficiente fundamento. Accedit etiam, quod in eo casu talis persona omnino mutat forum etiam civile, & ideo non videtur manere subiecta poenis civilibus in priori statu impositis, inter quas hæc infamia continetur.

Secunda
conclusio.

Secundo assero, aliquos esse casus, in quibus infamia iuris & consequenter irregularitas incurritur absque proprio delicto. Hoc patet breuiter aliquibus exemplis. Primus est de filio, qui interdum fit infamis propter delictum patris, etiam si illius nullo modo particeps fuerit. Hoc patet in filiis eorum qui violentas manus in Cardinales Ecclesiæ Romanæ iniecerunt, nam ipso iure canonico efficiuntur infames, c. Felici, verfic. *Quod si quis*, de Pœnis, in 6. & in filiis proditorum, qui committunt crimen læsæ Maiestatis, nam eorū filij iure civili efficiuntur infames, l. *Qui quis*, §. *filius*, Cod. Ad legem Iuliam maiestatis. Idem censent aliqui de filiis hæreticorū, quia supra diximus illos fieri irregulares: ergo etiam efficiuntur infames. Patet cōsequētia, tum, quia eorū irregularitas non videtur nisi in infamia fundari: tum etiam, quia priuantur beneficiis & honoribus in c. 2. & c. *Statutum*, de Heret. in 6. hic autem est proprius effectus infamiæ. Atq; ita tenet Simancas de Catholic. institut. tit. 9. nu. 268. & tit. 29. à nu. 14. ad 20. & Castro lib. 2. de Iusta hæret. punit. cap. 9. & Penna 1. part. Directorij Inquisitorum Comment. 4. verfic. *Hec autem infamia*. Isti vero auctores non asserunt textum, in quo talis infamia huiusmodi filiis imponatur, & ego illum inuenio. Nec sufficit quod fiant irregulares, quia non omnes irregulares sunt infames, sed illi tantum, qui ob propria delicta irregulares sunt, vt supra dictum est. Neque etiā est necesse hanc irregularitatem in infamia fundari, nam proxime imponi potuit propter grauitatem delicti paterni & in pœnam eius. Neque etiam sufficienter colligitur ex eo, quod tales personæ sunt inhabiles ad beneficia & officia publica, quo maxime fundamento nituntur prædicti auctores. Quia illa inhabilitas non est infamia, sed aliud genus pœnæ, & quasi irregularitas quedam ad beneficia, & officia. Quod si quis contendat inhabilitatem illam esse quandam infamiam, erit tantum secundum quid, & quoad tales effectus, non vero simpliciter. Nam infamia iuris absolute dicta reddit hominem inhabilem etiam ad testimonium ferendum, & alios habet effectus de quibus in c. *Non potest*, cum sequent. 2. qu. 7. c. *Testimonium*, & c. *Licet*, de Testibus, & c. *Licet*, de Probationib. Quos tamen omnes effectus non possumus iure tribuere filiis hæreticorum, cum nulla lege, vel

Simancas.

Castro.
Penna.

In casibus
irregulari-
tates non
fundari in
infamia
ostenditur.

in particulari sub propria ratione, vel nomine taliū effectuum, neq; in generali sub absoluto nomine infamiæ imponantur. Accedit tandē quod si filij hæreticorū essent infames, etiā iam essent clerici vel beneficiati, redderentur infames, quia etiam clerici, & habentes beneficiū, sunt capaces infamiæ, si sufficiens causa intercedat, tunc autē ponitur rota causa huius infamiæ: ergo redundaret in huiusmodi filios. Consequens autē est falsū, alias hi essent priuādi beneficiis, & vsu ordinis, & officij, & iure eligēdi, v. g. si illud habeāt qd est contra superius dicta, & cōtra cōmunem sententiam in d. s. *Hæretici*, & contra eodē auctores, præsertim Simancā supra. Sequela vero patet, quia omnes illi actus sūt prohibiti infamibus, iuxta supra dicta iura, & alia quæ refert Glossa in c. *Vi circa*, Verbo, *Eligendum*, de Electione in 6. Quocirca, vel prædicti auctores videntur infamiam cum irregularitate confudisse, vel certe locutos esse de infamia, non simpliciter, sed in ordine ad honores, seu officia vel beneficia in iure expressa.

Exemplum
alius cuius-
dem conclu-
sionis.

Aliud exemplum huius infamiæ est, quando oritur ex vili conditione personæ, quæ interdum consideratur vel nascitur ex vsu alicuius infamiæ artis, vel ignominiosi muneris, vt histrionum, gladiatorum, carnificum, macelliariorum, & similiū, de quibus late Maior. lib. 3. cap. 1. nu. 5. & sequent. Semper tamen obseruandum est, vt aliquo iure vel civili vel Ecclesiastico constet, talem conditionem, seu tale munus inducere infamiam, nisi fortasse tale sit munus, vt vel intrinsece includat culpam grauem, vel

saltem cum illa publice fiat, nam tunc ratione culpæ inducet saltem infamiam facti, iuxta superius dicta. Tamen ratione solius abiectiois, seu infimæ conditionis talis muneris, nunquam inducit irregularitatem sine iure. Ideoque propter vsum artis mechanicæ regulariter non incurritur aliqua irregularitas, quia exercentes has artes, si nihil turpe efficiant, nullo iure sunt infames, etiam si alioquin in Republica sint homines infimæ notæ. Similiter filij harum vilium personarum infames non fiunt, neque irregulares, etiam si parentes eorum infames fuerint, quia nullo iure infames fiunt: & clauso iure ignobilis parentis non obstat filio in ordine ad Ecclesiasticam munera, vt significauit Glossa in cap. *Quoniam*, Glossa. *Quoniam*, de Inuidiam, 24. quæstion. 1. & ex ea Felicius in c. *Cum deputati*, de Iudiciis in fine. Aliquando vero contrahitur hæc infamia, per matrimonium cum femina vilis conditionis, vt cum meretrice, vel simili, vt notabimus agentes de Bigamia. Denique ad hanc irregularitatem ex infamia, reducitur illa, quæ ex publica poenitentia nascitur: de qua in superioribus dictum est.

DISPUTATIO XLIX.

De Irregularitate, quæ ex bigamia nascitur.

Post irregularitates, quæ ex delicto, eiusve infamia originem ducunt, dicendum superest de his, quæ nascuntur ex aliis defectibus, soletque duplex defectus considerari, sacramenti, & personæ: in priori ordine ponitur bigamia, & de qua hic dicendum est, postea de reliquis.

SECTIO I.

Virum, Ex propria bigamia irregularitas contrahatur.

Riplex distingui solet bigamia, vera, interpretatiua & similitudinaria. Dicitur enim Bigamia iuxta Græcam deductionem, ex duplicato seu multiplicato matrimonio. Cum ergo duplex matrimonium re ipsa sit, vera bigamia dicitur: alia vero censetur esse interpretatione iuris, vel per quandam analogiam, vt videbimus. Nam, quia hæc species, non æqualiter, sed quodam ordine, vel analogia rationem bigamiæ participant, vt clarius procedamus, de singulis sigillatim dicemus. Propterea priusime ergo bigamus dicitur, qui secundas nuptias contrahit post mortem prioris coniugis, & utrasque consumauit, vt Canonistæ docent in Rubrica de Bigamis, & D. Thom. in 4. dist. 27. & ibidem Soto, & quæst. 3. art. 1. Richardus art. 4. quæst. 1. Nauarrus cap. 27. numer. 195. & patet ex ipsa voce *Bigamus*, quæ idem significat quod bis coniugatus: vnde communiter hæc tantum vocari solet vera bigamia, vt infra dicemus. Hæc autem iterata susceptio matrimonij vocatur defectus sacramenti, non quia talis sacramenti secunda susceptio peccaminosa sit: nam certum de fide est, tale matrimonium per se honestum ac licitum esse (vt nunc ex propria materia suppono cum Diuo Thoma, & aliis Theologis in 4. dist. 42. & videri possunt cap. *Aperiant*, cum sequent. 31. quæstion. 1. & Conc. Carthaginen. quart. capite 1.) Sed quia tale matrimonium non est ita accommodatum ad perfectam illius sacramenti significationem. Est enim proprium huius sacramenti significare coniunctionem Christi cum Ecclesiâ, ex